

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

verbum admittis, numeris omnibus expressit. Malusque genius illi meritum rependat, qui Martyris & historiæ dignitatem ad sordes abiecit, quibus ipse inquinatus erat impurus deflorator. Quod scelus Gallo imputo. Hæc enim gens inepta quadam ingeniorum ad veteres contentione per omne eruditionis genus idoneos autores una conspiratione vel funditus sustulit, vel indoctè defloravit, vel illorum titulis scelerate abusa indoctas fabulas & hyberis neniis nugaciores nostro tempori obtrusit. In illo legitimo exemplari est locus: steter ad lineam: ille, toties dico, deflorator reposuit: steter in lineis, & profecto non alio loco justius dabitur errori venia, postquam enim superioribus Cyprianum exutum legerat, rei consequentia ferè invitabat, ut eum in lineis produceret. Verum hoc tenuius, cum prior lectio sumum & germanicum pondus seruet, quemadmodum inter fontes allegatus Martyr supplicium ordine evocatus excepit. Hoc admonere libuit, ut loco censuram pro tuo iudicio adhibeas. Descripsi olim Ratisponæ in Bibliotheca ad Emmeranum Commentaria Divi Hieronymi in Epistolam ad Galatas. Memini adhuc multa illic inter initia legi, quæ in vulgatis libris desunt. Etiam in Commentariis in Matthæum desidero aliquid, quod puto, me illic legisse, credibile est, eam lectionis copiam vicissim & inopiam pluribus locis deprehendi. Oro hic humanitatem tuam, ut mittas illuc hominem idoneum, qui totum Hieronymum ad illa exemplaria conferat, si non alium fructum, quod nunquam credam, certè istum maximum capies, Emendationem tuam ad venerandæ vetustatis codices & per Imperatorem quempiam ex Italiae incorrumpita aliqua bibliotheca illuc translato expendisse. In Roro monasterio Canoniorum regularium celeberrimo Bavariæ inferioris codex est non magnus, nec antiquus, in quo sunt Divi Hieronymi titulo ternæ in singulos Evangelistas expositiones, breves & non quæ doceant, sed admoneant lectorem, comparatæ aliunde intelligentiæ. Aliud tibi de opere ferre iudicium ex veteri memoria non possum. Denso autem & arguto esse oportet, si Autorem inscriptione non mentiuntur. Fuerit tuæ diligentæ, instituire rationem, ut hujus operis periculum præsentius facias, si qua fortuna reddas Hieronymum auctiorem. &c. &c.

LIII.

Berquinus Erasmo.

Rufum crabrones irritati. Hæresicos me accusarunt apud Senatam ac delegatos Papæ, non ob aliud, quam quod lucubrationes tuas aliquot in vernaculam veterim linguam, in quibus hæreses impiissimas ausi sunt affirmare. Olseci protinus, quidnam illi molirentur, ut videlicet libri Erasmi, si diis placet, velut hæretici cremarentur, & una cum eis Berquinus, ni tanquam tales abjureret.

Quod
hab-

si abjuraret, satis illis hoc esse vindictæ, si Berquinum insigni & perpetua notassent infamiâ; ego qui mihi conscius eram, nihil extare in libris tuis, quod velut hæreticum esset abjurandum, cum mihi fama quam vita charior esset, neque abjuravi quicquam & te eum esse affirmavi, de quo ne minima quidem esset habenda hæreseos suspicio. Lucubrationes tuas à Pontif. Leone X. comprobatas, Adrianum Pontificem te quam benignissimè non solum literis unis & alteris propria sua manu scriptis, sed & per Legatum Romanam advocasse. Tot Cardinales, tot Principes egregiè de te & sentire & loqui. Quin & Clementem Pontificem literis suis & amplissimo munere, quasi iudicii sui pignore, satis declarasse, quam illi placuerit paraphrasis tua in acta Apostolorum, Erasmusque solum illi visum idoneum, qui Jo. Oecolampadii dogma de Eucharistia refelleret, nam id tum (fortè) à nescio quo resciveram, quod an verum sit, scribe quæso. Adjeci, me, cum verterem lucubrationes tuas, nihil illic offendisse indignum homine Christiano, si modo omnia simul legantur, non calumniandi animo, sed candido & sincero. Quod si quid offenderetur in libris tuis diversum à doctrina Christianâ, nihil aliud existimandum, quam aut librum esse depravatum, aut esse suppositivum, de quo tu non semel conquestus esses, atque adeo proximis his diebus literis ad Bedam datis, ne putarent, hoc à me confingi. Quod ad translationem attinebat, ostendi illis manifestissimas calumnias, tantum interesse inter stilum meum & illius cujus proferebant versionem, quantum interest inter vulpem & Camelum; suppositivum esse titulum, suppositivum esse nomen, addita esse multa, plura omissa, plurima ab interprete indocto depravata. Atque ne putarent his me dictis efugium parare, obtuli, ex autographis meis fidem me facturum, vera ne an falsa dicerem. At delegati quamquam binis literis Regiæ matris jussi fuissent in hoc negotio supersedere ad regium usque adventum, propterea quod Rex Christianiss. in animo haberet, de Fabri, de meo, de aliorum quorundam simili negotio, consulere viros egregios, doctos, & cordatos, eosque constituere iudices, tamen aut impotentia odii aut in gratiam Theologorum, aut deniq; suo timentes tyrannidi, posteaquam in Erasmi nomen satis essent debacchati, illum hæreticum & Apostatam subinde clamantes, & Berquinum illius fautorem, produxerunt articulos à theologis ex libris tuis decerptos, (ut aiebant) truncatos tamen ac mutilos, quos hæreticos, schismaticos, scandalosos, olentes hæresin, hoc est, ipsis displicentes asserabant. Longum esset, (Erasme doctiss.) recensere, quid ego responderim, hoc solum nunc habe, mihi ne in unio quidem articulo cum illis convenisse, neque tamen quicquam à me dictum est pertinaciter, sed vel sententiam sum interpretatus, vel ex præcedentibus dixi articulum declaratum, vel aliam esse mentem tuam, quam verba sonare videntur, vel aliquid deesse, vel exemplar corruptum esse, denique modis omnibus

cavi, ut neque malevolo illorum animo obsequer, neque illi justam causam haberent, sciendi in me, aut in libros tuos: Nec omni protestatione, quas vocant, innumerat.

At illi sprete protestationibus, spreto regie matris edicto, cum ne verbum quidem dixissem alienum à fide catholica, tamen adhibitis tribus Monachis, quos tamen prius ut suspectos recusaram, (præcipue Carthusianum priorem) velut non omnino bene volentes Erasmo, & quæ ille in quosdam ineptos, utpote sutores, scripsisset, ad totum ordinem trahentes, non veriti sunt me pronunciare hæreticum & hæreticorum fautorem.

Senatus quanquam aliàs satis præceps ad hujusmodi negocia, tamen vel hoc uno abunde restatus est, non placere sibi tam præcocem, & ut ita dicam, præcipitamentam sententiam, quod me ab ovo usque ad mala audire decreverit, freudentibus tam delegatis, quam theologis.

Rex Christianiss. eo die, quo patriam est ingressus, edoctus de re omni per Matrem, protinus caduceatorem misit ad Senatum cum literis suis, jubet expectari adventum in hac re suum, Præsidibus Senatus præcipit per alias literas, Berquini curam suscipiant, illius aut vitam aut mortem ab illis reposturum. Habes paucis Tragediam Berquini, unum hoc inprimis non erat omittendum, quod in Paraphrasi tuâ Regi dicata (cujus exemplar à me versum cum nonnullis aliis libris à me abstulerant) nihil designarint, id quam ob rem satis conjectare potes. Visum est autem interim, dum Regiam Majestatem expectamus, articulos ab illis designatos ad te mittere.

Mitto quidem omnes, quotquot designarunt, sed qui sunt præcipui, id est, quos maxime urgebant, eos notavi digito in margine. Tuæ fuerit humanitatis, respondere illorum calumniæ, idque non obiter, quem ad modum respondisti Bedæ, sed copiosè argumentis & autoritate scripturæ. Rex hoc honoris habet Erasmo, ut dicat, Theologos istos, cum neminem non impetant, audaces, ab Erasmo tamen semper timidos abstinuisse, fac, ut idem cognoscat, quam non felicitè nunc primum hanc rem sint aggressi.

Magnus semper admirator fuit tuæ doctrinæ, major futurus est, ubi thologorum ineptias plenius cognovit. Tunc hic vulgo jactatur, Theologos Sorbonicos tot annis nihil intellexisse in Erasmi libris, nec unquam quicquam intellecturos esse, si non adsit, qui illos in linguam vertat Gallicam. Responde quæso copiosè, nam quicquid actum fuerit ad Regem perferetur. Expectabit tabellarius, quamdiu voles, neque clamitabit (spero) effluxisse viaticum.


Quod si voles simul mittere Panegyricum gratulatorium nostro Principi in patriam reduci, quemadmodum jam pridem admonueram, age præstolabitur: aut si mavoles hunc post articulos à te receptos ad me redire & Panegyricum per alium ad nos mittere, fac ut voles, non redibit tabellarius, quem mittes, vacuus munere honorifico, ejus rei tibi fidem do. Apud scutum Basileense aut apud Beraldum sciet tabellarius, ubinam fuero, quanquam Beraldus nunc plurimum abest ab urbe.

Vale, doctissime Erasme, & Ludovi-

dovicum tuum perge inter tui observantissimos numerare.
r 5 2 6.

Lutetiæ, 17. April.

Ignosce quæso ineptiæ notularum mearum, præsertim in descriptione atticulorum; Nam & ægrotabam, nec volui rem hanc cuiquam patefacere.



Præcedentes epistolas Robertus Robertinus ex autographis plerasque descripsit, à Joanne Pappo mecum communicatis, qui Nicolai Gerbelii (cujus è bibliotheca hæc veniunt) neptem uxorem habet, 1629. mense Martio.



LIV.

Speḡtabili ac erudito Viro, Joanni Sturmio,
amico nostro Charissimo.

ELIZABETA, DEI gratia, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei Defensor, &c. Joanni Sturmio, amico nobis sincerè dilecto salutem. Accepimus tuas decimo nono Martii ad nos scriptas, ab illis, quibus tu eas perferendas dedisti, ad nos allatas. Ac ipsis quidem hominibus eam, quam literæ expetiverunt, & fidem præbuimus & quæ illi in mandatis habebant, accuratè intelleximus: ex quibus pristinam tuam erga nos voluntatem & de statu nostro curam ac sollicitudinem, multis rerum notis jam olim nobis perspectam recognoscentes, nec multum sanè mirabamur pro veteri tua in nos observantia, & multum tamen gaudebamus, atque etiam magnas nunc gratias agimus.

De rebus vero per illos ad nos relatis, sic statuendum esse duximus: ut quoniam quidem fidelem nostrum servitorem, Henricum Killegrevv, isthuc nuper cum mandatis misimus, cui una cum Doctore Montio, homine nobis fideli, tibi familiariter cognito, fidem in rebus nostris haberi volumus, ea omnia illis liberè patefacias & cum utrisque aut illorum altero integrè communices. Nos vero de tali vestro inter vos colloquio ab illis certiores factæ de rerum summâ, quod & causâ & nobis dignum erit, DEO approbante, statuemus.

S s s s s

Datum ex
Regia